

cum arctiori premeret obsidione , appareretque brevi hostem , quia Veneti aquas insedissent , dditionem facturum . Pontificis Legatus , qui tum Bononiæ erat , cognitis , quæ apud Ferrariam gesta erant , per oratores ad id missos solenni denunciatione a Venetis postulat , ut ab incepta oppugnatione abstineant . Forte accedit , ut sub illorum adventum acri certamine castellum oppugnaretur : quo factum est , ut ea quæ Legati afferrent , in eo pugnae fervore minime sint exaudita . Interea Ferrarienses , freti , credo , Legatorum præsentia , diversarum partium facti , s̄e in Legati fide futuros pronunciant . Secutus deinde clamor , rebus Ecclesiæ propriæque libertati aperte faventium . Turbavit omnino alios repentina civium defectio , & in primis Friscum ipsum . Sed tantum absfuit , ut Veneti ea novitate territi sint , quod Ferrariensium navigiis , quæ ad castelli oppugnationem Tyrannus contraxerat , subito incensis , pugnaque acriter instaurata , non prius abstiterint , quam , resciffo ponte , Thealdum iruperint . Friscus Ferrariensibus ob subitam defectionem irritus , infestis equitibus ex munitiore loco missis , urbem pluribus locis incendit . Tum cives hinc ferro inde igni circumventi , sedato tumultu , Frisco , quem infense oderant , præterito , Venetorum fidem implorant . Continuo , dditione facta , prorsus ab injuria temperatum est . Veneti , et si urbem in fidem acceptam suis regere auspiciis in animo habebant , Friscum tamen , ne publicam fidem prodidisse viderentur , in urbe retinuere . Clemens Pontifex , qui tum in Gallia erat , auditio Ferrariæ casu , ægerrime ferens urbem Romanæ Ecclesiæ vestigalem ita indigne a Tyranno vexatam , ac novissime Veneti imperii factam , continuo anathematis spiculum in Venetos detorsit : proposito tota Europa edicto , ut Venetum Christiano cœtu ejectum , Romanæque Ecclesiæ hostem , fas esset cuique interimere . Hæc quidam habent annales : sed ut mitius , ita similius illud , quod externi scriptores tradunt : Veneto nomini sacris interdictum : additum ad id , nihil impie facturum , qui Venetum hominem in suam potestatem redactum , pro servo vendidisset . Effecit ea res , ut in omnibus fere Galliæ emporiis Venetorum mer-

1308

Veneti ob
occupatam
Ferrariam
a Papa es-
communi-
cati .

Non sine da-
mno , quod
hinc inde
passi .

ces